

Sollemnis praemiorum adtributio iis omnibus qui ex ordine vicerint Romae habebitur apud ipsam Universitatem Pontificiam Salesianam, die XXII m. Februarii anni MMXVII, qua die Facultas Litterarum Christianarum et Classicarum, quotannis, celebratur condita. Exinde, academica habita acroasi, cuius programma certo tempore innotescet, et participum coetu expleto, amicale convivium victoribus praebebitur eorumque propinquis, qui eosdem comitentur.

**PRAEMIA CULTORIBUS
TRIBUENDA**

Quod ad prosam et quod ad poesim:

Primum praemium:

*500 euronumum erit una cum
diplomate*

Secundum praemium:

*300 euronumum erit una cum
diplomate*

Tertium praemium:

*200 euronumum erit una cum
diplomate*

**PRAEMIA DISCIPULIS
TRIBUENDA**

Quod ad prosam et quod ad poesim:

Primum praemium:

*300 euronumum erit una cum
diplomate*

Secundum praemium:

*200 euronumum erit una cum
diplomate*

Tertium praemium:

*100 euronumum erit una cum
diplomate*

Petitores autem qui a iudicibus laude digni habiti sint, usque ad tres, nulla addita pecunia, laude ornabuntur, quae uno tantum diplomate constat.

Scriptiones omnes certaminis utriusque quae vel praemiis, vel laude ornatae sint Facultas Litterarum Christianarum et Classicarum typis uno volumine edendas curabit eiusque quinque deinde exemplaria per publicos tabellarios ad proprium domicilium auctores gratis accipient. Si quis autem eorum voluminis specimina numero maiora sibi petierit, haec eadem, additis expensis cursualibus, expostulet apud: *LAS (Libreria Editrice Salesiana), Piazza dell'Ateneo Salesiano, 1, 00139 Roma*, quae venditionis pretium cum auctore statuendum curabit et libros ad eundem mittet.

Tres, praeterea, iudices, quorum unus ceteris praeerit, scripta omnia quae ad certamen lata sint summa cura expendent. Facultas Litterarum Christianarum et Classicarum apud se unum tantum retinebit antigraphum opusculi cuiusque, cetera autem legitimis auctoribus non reddentur et chartariis cum involucris delebuntur.



**CERTAMEN LATINUM
SALESIANUM
A. MMXVII**

**PROPOSITVM
A. MMXVI Romae**

CERTAMEN LATINVM SALESIANVM

Curante et auspice Facultate Litterarum Christianarum et Classicarum Pontificiae Universitatis Salesianae, quae est in urbe Roma, annis alternis, linguae Latinae certamen proponitur partim vero professoribus et cultoribus destinatum, partim autem alumnis lyceorum studiorumque universitatum, qui per orbem terrarum his studiis dediti sint.

Ab universis scriptorum auctoribus id enixe exquiritur, ut ea sint ab ipso auctore inventa neque ab aliis operibus et antiquis et recentioribus, cum adstricta, tum soluta oratione compositis, ne minima quidem ex parte, per translationem deprompta neque in aliis litterarum Latinarum certaminibus praemio, vel laude honestata, sunt autem proposita aut sub forma narrationis, aut versibus, cuilibet metro vinctis, iuxta prosodicas classicorum poetarum leges compositis, nec non talia quae ad res hominesque nostrae aetatis cum ingenio respiciant atque eorum studia, vel animorum motus et sensus scite valeant describere.

Itaque, ex certamine utroque scriptiones omnes excipientur sive quae his normis non responderint, sive quae ad res didacticas, commentationes philologas, litterarias, philosophicas, historicas varium genus spectare videbuntur.

NORMAE

Uno tantum opere, quod ad prosam, uno quod ad poesim, a petitoribus universis certamen potest adiri, quattuor eiusdem libelli missis ad iudices exemplaribus, vel instrumento computatorio, typis in scribendo adhibitis, qui sub signo Times 12 notantur, cum mensura 1,5 spatii inter lineas in folio exaratas, vel machinula scriptoria electronica effectis.

AD PROSAM

Cultorum narrationes non minus 5 paginis constabunt (iuxta folii cuiusque formam A 4) neque limitem 15 paginarum excedent, sententiola quadam munitae, quam scriptor referre debet una cum sui ipsius nomine, domicilio, telephonii portabilis numero, vel, si voluerit, sui cursus electronici inscriptione, in scidula chartario involucro inclusa et opportune obsignata.

Discipulorum autem narrationes non minus 2 paginis cum dimidio constabunt (iuxta folii cuiusque formam A 4) neque limitem 5 paginarum excedent, sententiola quadam munitae, quam scriptor referre debet una cum sui ipsius nomine, domicilio, telephonii portabilis numero, vel, si voluerit, sui cursus electronici inscriptione, in scidula chartario involucro inclusa et opportune obsignata, addito, praeterea, vel lycei vel studiorum universitatis nomine, cuius, praeside teste, se esse auditorem profitetur.

AD POESIM

Cultorum carmina, quibus facultas est quodvis sibi eligere ad tractandum argumentum, non minus 50 versibus constabunt (iuxta folii cuiusque formam A 4) neque limitem 250 versuum excedent, sententiola quadam munita, quam scriptor referre debet una cum sui ipsius nomine, domicilio, telephonii portabilis numero, vel, si voluerit, sui cursus electronici inscriptione, in scidula chartario involucro inclusa et opportune obsignata.

Discipulorum autem carmina, quibus facultas est quodvis sibi eligere ad tractandum argumentum, non minus 25 versibus constabunt (iuxta folii cuiusque formam A 4) neque limitem 50 versuum excedent, sententiola quadam munita, quam scriptor referre debet una cum sui ipsius nomine, domicilio, telephonii portabilis numero, vel, si voluerit, sui cursus electronici inscriptione, in scidula chartario involucro inclusa, addito, praeterea, vel lycei vel studiorum universitatis nomine, cuius, praeside teste, se esse auditorem profitetur.

Quattuor operum suorum exemplaria per ordinarium tabellariorum cursum mittent scriptores omnes ad: Certamen Latinum Salesianum – Università Pontificia Salesiana – Facoltà di Lettere Cristiane e Classiche – Piazza dell'Ateneo Salesiano, 1, 00139 Roma, non ultra diem XXXI m. Octobris anni MMXVI. Uni tantum victores de exitu certaminis fient certiores in novissima hebdomade mensis Ianuarii anni MMXVII.